



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 2. Quotuplex sit scientia humana; quotuplexque obiectum per
ipsam sciebile sumptum similiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

QVÆSTIO II.

*Quotuplex sit scientia humana latissime sumpta
iuxta dicta q. 1. Quotuplexque obiectum
per ipsam scibile sumptum similiter.*

14 **S**uppono primò. Varias scientiarum diuisiones tradi ab Auctoribus, ut videre est in Platone, Arist. Alcinoo, Laërtio, Ammonio, D. Isidoro, Hugone Viçt. Richardo, Alberto, Eugubino, & aliis apud Conimb. in *Logica quæst. 2. Proemiali.*

Quas ipsi Conimb. ex communi Dialecticorum ad tres reducunt. Prima, quæ sumitur ex obiecto, est scientiarum in Sermocinales, quæ sunt Grammatica, Rhetorica, Dialectica, cum Historia, & Poëtica ad Grammaticam, aut Rhetoricam redunda; & Reales, quæ sunt cæteræ mox recensendæ. Secunda diuisio, quæ ex fine sumitur, est scientiarum in Practicas, quarum finis est opus, & Theoricas, quarum finis est sola cognitio veritatis. Practicarum autem, aliæ dirigunt actiones internas, ut Logica actiones intellectus, Moralis actiones voluntatis: quæ rursus diuiditur in Ethicam, Politicam, & Oeconomicam. Aliæ dirigunt actiones externas, ut Grammatica, & Rhetorica externum sermonem; Fabrilis, Pictura, Textoria, Nautica, & cæteræ huiusmodi alia opera externa. Theorica vero ad Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, siue Theologicam reuocantur; quarum ynaquæque rursus sua membra habet. Tertia diuisio, quæ sumitur ex scientiarum gradibus, earum est in superiores, & inferiores. Superiores sunt Physica, Moralis, & Theologia, siue Metaphysica. Inferiores quatuordecim umerantur, quarum septem Artes liberales dicuntur, nempe Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia: septem vero Artes Mechanicæ seu seruiles, nimirum Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgica, Textoria, & Nautica: pluresque numerari potuissent, ut norant Conimb. *suprà articulo 2.* aut etiam deberent. Et aliquæ inter Mechanicas, siue Seruiles recensitæ abs iure tales appellantur; ab aliis, quæ præsertim Recentioribus inter liberales censentur.

15 **S**uppono secundò. Aliam præterea celeberrimam fuisse apud Antiquos diuisionem scientiarum humanarum late usurpatam (quam Philosophiam late etiam sumptum hoc vocabulo appellant): quæ videlicet ea diuiditur in Naturalem, Moralem & Dialecticam, comprehensam sub Naturali Physiologia, seu Physica, Metaphysica, & Mathematicis disciplinis. Cuius diuisionis meminerunt Plato, testante Alcinoo, Aristot. Chrysippus, Eudromus, Xenocrates, Plutarchus, Laërtius, Eusebius, Cæsar, & alij apud Conimb. in *Proemio Physicæ antiquæ quæstiones.*

16 **S**uppono tertio. Celebratissimam omnium esse diuisionem scientiarum seu Philosophiæ Theoricæ, siue Contemplatiuæ in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, idque non solum apud Antiquos, sed etiam apud Moderniores Philosophos. Quam vtræque, & exactam defendunt Conimb. in *Proemio Physicæ, quæstione prima*, Pereira in sua *Physica libro primo, à capite quinto*, & alij Physici, Logicique communiter, quos longum esset recensere. Tamen aliqui Recentiores eam non satis approbent. Ratio autem, quam omnes

tradunt ad istam diuisionem probandam, est, quia intellectus humanus, vel titulo immaterialitatis, quæ gaudet, ut plerique censent; vel potius titulo modi intelligendi per species alienas, quem præsentente statu habet, ut ego arbitror, ordinariæ saltem concipit quidquid scit pro statu præsentente, cum aliqua abstractione à materiâ; atque adeo quot sunt obiectorum scibilibum abstractiones à materiâ possibiles, tot eorum scibilitates diuersæ, totque subinde in intellectu humano scientiæ diuersæ asserendæ sunt. Abstractiones autem à materiâ obiectorum scibilibum possibiles tres sunt omnino. Prima à materiâ solum singulari, quam vocant signatam. Secunda à materiâ singulari, atque etiam à materiâ sensibili. Tertia à materiâ singulari & à sensibili, & ab intelligibili. Tretque proinde omnino sunt scientiæ scibilibum obiectorum, nempe Physica, quæ suum obiectum considerat quatenus materiale, & sensibile, atque adeo sub solâ abstractione eius à singularitate. Mathematica, quæ suum obiectum, nempe quantitatem considerat præscindendo ab eo, quod illa sit in hoc ente materiali, vel alio; tamen quia illa re ipsa in aliquo ente materiali siue corporeo debet esse, ab omni materiâ segregata intelligi nequit. Quod est, ipsam concipi cum abstractione à materiâ singulari, & sensibili; secus cum abstractione ab intelligibili, & Metaphysica, quæ suum obiectum considerat sub eis tantum rationibus, quæ in entibus purè immaterialibus, siue incorporeis re ipsa inveniuntur, eò quod vel eorum sunt propriæ, vel entibus simul immaterialibus, ac materialibus sunt communes. Quod ipsum est, illud concipere cum abstractione ab omni materiâ singulari scilicet sensibili, & intelligibili.

Cæteram Auctores huius diuisionis in quibusdam, nisi ego fallor, videntur peccare. Primò, quia illam solis scientiis speculatiuis siue theoricis applicant: cum & practicas æquo iure censenda videatur communis. Si enim, ut ipsi supponunt, nihil ab intellectu humano intelligitur, absque aliqua abstractione à materiâ: utique scientiæ etiam practica sub aliqua abstractione à materiâ suâ obiecta considerabunt; atque ita quæuis illarum, aut sub Physicam, aut sub Mathematicam aut sub Metaphysicam cadet. Secundo, quia Arithmetica saltem, quæ pars cetera dubium est Metaphysicæ, ab omni materiâ etiam intelligibili abstrahit, quandoquidem quæ demonstrat de numeris Angelorum, aliorumque entium purè immaterialium numeris communia sunt. Male ergo dicitur vniuersè à plerisque, Mathematicam à sola materiâ singulari, & sensibili, non item ab intelligibili abstrahere, ut benè viderunt Conimb. *vbi suprà*. Tertio quia, sicut Geometria pars Mathematicæ abstrahit à materiâ singulari & sensibili, secus ab intelligibili modo explicato, ita ea pars Physicæ quæ agit de generatione & corruptione in vniuersum, aliæque huiusmodi abstrahunt à materiâ singulari, & sensibili, secus ab intelligibili: quia agunt de his obiectis cum præcisione ab eo quod sunt in his entibus materialibus, aut in aliis, cum tamen re ipsa in aliquibus esse debeant. Quarto quia, si sit sermo de subiecto obiectiuo scientiæ, sæpe illud est quid singulare, atque adeo nullatenus à materiâ abstractum: si autem de prædicato, est illud plerumque saltem sit ex se vniuersale, id est aptum ad conueniendum in conceptum vniuersalem cum aliis similibus; sæpe tamen est singularizatum, atque adeo propriè, & formaliter nullatenus

X nus

nus abstractum à materia, iuxta doctrinam traditam *supr. disp. 20. q. 11.* Male ergo supponitur indistincte, omnem scientiam speculatiuam considerare suum obiectum sub aliquâ abstractione à materia. Mitto alia, &

18 Suppono quarto. Scientiam latissimè sumptam multifariam diuidi posse pro arbitrio diuidentis; vt ex doctrinâ vniuersali de diuisione & diuidenti methodo *infra disputatione vigesima septima*, tradenda constabit. Quare, quo aptiore possimus ordine ex variis, qui eligi possent, eiusmodi scientiam, atque adeo etiam eius obiectum in multa membra, quæ habere potest, in multasve partes diuidemus in *presente questione*. Inter diuidentium autem singulorum membrorum, seu partium naturam, quantum far fuerit ad propositum, succinctè tamen, & breuiter explicabimus.

19 Suppono quinto. Scientiam latissimam bifariam vsurpari posse: Primò pro aggregato singulari omnium iudiciorum, & consequenter apprehensionum simplicium eis subalternentium intellectui humano, pro statu presente possibilitatis, circa omnia obiecta ab ipso scibilia. Quo pacto totum quoddam physicum est, ex scientiis minùs latis compositum physicè; atque adeo in eas tanquam in partes sui physicas diuisibile. Secundo pro conceptu vniuersalissimo abstracto ab omnibus humanis scientiis, siue aggregatis eiusmodi iudiciorum, apprehensionumque, & eis communi. Quo pacto totum quoddam Logicum est in dictas scientias, siue aggregata diuisibile tanquam in suas partes Logicas, seu tanquam in sua inferiora. Pariterque scientia eadem minùs lata, vel pro scientia singulari in alias ex quibus physicè componitur tanquam in partes sui physicas diuisibili; vel pro conceptu communi in alias, ex quibus Logicè abstrahitur, tanquam in sua inferiora diuisibili sumi potest: quibus suppositis sit.

Diuisio I.

20 Scientia humana, sumpta latissimè pro singulari aggregato omnium aliarum minùs latarum, in Physicam, & Metaphysicam tanquam in duas sui partes physicas diuidenda est in primis. Sumpta vero latissimè pro conceptu communi omnibus omnino scientiis humanis in Physicam & Metaphysicam, & ex utraque mixtam est diuidenda, tanquam in tres suas partes Logicas siue tria sua inferiora. Quarum vnaqueque rursus in alias sub se contentas subdiuiditur.

Physicam enim dico, sumptò latè hoc vocabulo, eam partem scientiæ humanæ, siue eam scientiam humanam, quæ de rebus iudicat, prout habentibus *esse* intra statum existentialem, Metaphysicam autem, sumptò etiam latè hoc nomine, appello eam partem scientiæ humanæ, siue eam scientiam humanam, quæ de rebus iudicat, prout habentibus *esse* intra statum quiditativum præcipientem ab existentia, iuxta dicta de huiusmodi statibus *disputatione decima*, quæ ad rem recognoscenda sunt. Vnde scientia humana mixta ex utraque erit, quæ de rebus iudicat partim prout habentibus *esse* intra statum existentialem, & partim prout habentibus *esse* intra statum quiditativum. Potest autem scientia humana trifariam excogitari mixta ex Metaphysicâ, & Physicâ. Primò quoad conclusiones tantum. Secundo quoad principia tantum. Tertiò quoad conclusiones & principia simul.

21 Deinde quævis ex dictis tribus scientiis in Ab-

solutam & conditionatam est diuidenda, aut tanquam in duas partes sui Physicas, si singulariter sumatur; aut tanquam in duo membra siue inferiora sua Logica, si sumatur vniuersaliter, iuxta duos modos, quibus ea potest sumi, paulo ante explicatos. Est autem scientia absoluta, quæ de rebus iudicat absolute, siue prout in statu absoluto: conditionata verò, quæ de rebus iudicat conditionatè, siue sub aliquâ factâ hypothesi, siue prout in statu conditionato, iuxta dicta circa huiusmodi status *disput. 10.*

Porro inter Metaphysicam, seu absolutam, seu conditionatam, & Physicam seu absolutam seu conditionatam prædictis modis vsurpatis, sequentia discrimina sunt. Primum; quod Metaphysica tam conditionata, quam absoluta de rebus iudicat, prout in statu existentialem, vt dictum est. Secundum; quod Metaphysica tam absoluta, quam conditionata obiecta omnia necessaria sunt, quoad suam veritatem obiectiuam; quatenus vnunquodque necessariò est, aut non est, tam absolute quam conditionatè id, quod de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo, siue ex vi quiditatis suæ, independenterque ab existentia est, aut non est: Physica verò absoluta omnia obiecta (vno Deo, & negationibus chimerarum impossibilium exceptis) quoad suam veritatem obiectiuam contingentia sunt; quatenus contingentia sunt, aut non sunt existentialem, & absolute. Physica autem conditionata quoad veritatem existentialem conditionatam multa obiecta sunt necessaria. Quia ex hypothesi conditionis necessariò existunt, aut non existunt: & multa sunt contingentia; quia etiam ex hypothesi conditionis existunt, aut non existunt contingentia. Tertium discrimen est, quod Metaphysica tam conditionata quam absolute principia, in ipso lumine rationis intellectui humano indito sedem habent; quatenus intellectus humanus apprehensio reminis per species alienas, (quas à sensibus oriundas in memoriâ asseruatas ad concipienda cuncta habet iuxta doctrinam latè traditam *disputatione prima*), citra discursum & experientiam, vi solâ suâ iudicatiuâ eorum connexionem deprehendit; atque ita prædicatum necessariò conuenit subiecto iudicat, seu absolute seu ex hypothesi conditionis. Principia verò Physica absolute in experientia ipsâ fundantur; quatenus intellectus humanus citra discursum quidem, non tamen citra experientiam, sed eâ adiutus, in eâ fundatus iudicat illa, in quibus subinde indicandis non deprehensione connexionis subiecti cum prædicato, sed experientia ipsâ ducitur. Physica autem conditionata, ex parte habet principia conditionata independentem ab experientia iudicabilia, (quoad quam subinde partem fortasse ad Metaphysicam eo titulo reduci posset, iuxta mox dicenda, ex parte vero nulla principia conditionata habet, sed absolute mediâ experientia iudicabilia sumit eorundem, iuxta dicta *disp. 19. q. 8. conclus. 5.* De quibus omnibus plura etiam in ea *q. dicta* sunt.

Aliiter diuisio proposita nec minus aptè fortasse posset exponi dicendo, Metaphysicam latam esse eam scientiam, cuius omnia principia vi solius connexionis terminorum notescunt. Physicam autem latam eam, cuius omnia principia notescunt

cant vi solius experientia. Mixtam verò, quæ aliqua prioris, & aliqua posterioris generis principia habet. Quo pacto usurpatis dictis vocabulis, Metaphysica lata de multis iudicabit propterea in statu existenti conditionato, & Physica lata de multis iudicabit, propterea in statu quiditativo tam conditionato quam absoluto. Quia multa sunt vi connexionis, & citra experientiam tum ex ipsis terminis, tum per discursum iudicabilia propterea in statu existenti conditionato, & multa sunt ex principiis experimentalibus, atque adeo mediâ experientia, & non aliter per discursum iudicabilia propterea in statu quiditativo tum conditionato, tum absoluto: ut constat ex doctrinâ traditâ loco nuper citato. Re tamen intellectâ non multum interest priore illo, aut hoc posteriore modo loqui.

24 Interest tamen ad distinctionem, & ordinem sequentium divisionum, Schematumque earum subiungendorum, ut prætermittâ scientiâ mixtâ, sub Physicâ latâ eas specialiores scientias ponamus, quæ aut adæquatè, aut maiore ex parte Physicæ sunt, tametsi aliquâ ex parte minore Metaphysicæ etiam sint: sub Metaphysicâ autem latâ eas, quæ aut adæquatè, aut maiore ex parte sunt Metaphysicæ; tametsi minore aliquâ ex parte etiam sint Physicæ.

25 Igitur Physica lata imprimis in Discursivam, & Narrativam est dividenda. Discursivam eam appello, quæ potissimè circa obiecta vniuersalia versatur discurrendo circa illa ex professo, discursivæque illa comprobando; tametsi maiore ex parte ex principiis ab experientia oriundis; quod omnibus scientiis sub Physicâ latam cadentibus commune est, iuxta dicta. Narrativam autem voco eam, quæ potissimè agit de euentibus rerum singularibus, eos potius narrative adstruendo, quam medio discursu comprobando; tametsi etiam interdum suos circa illos discursus misceat, & aliquaalia vniuersalia obiecta tangat.

26 Ex quibus duabus scientiis Physicis, prima rursus dividitur in Theologiam, Physiologiam, Rationalem, & Moralem. Theologia est scientia tractans de Deo, ut de subiecto attributionis, & consequenter de cæteris omnibus rebus Theologicè, id est, quatenus illæ respectum aliquem, seu habitudinem dicunt ad ipsum Deum, idque maiori ex parte physicè, hoc est, propterea in statu existenti, & ex principiis ab experientia oriundis. (Sub quæ complector principia credita fide divinâ, aut etiam humanâ. Nam cum fides sit ex auditu ad Rom. 10. quæcumque per fidem scimus, ab experientia etiam dicuntur suam trahere originem) Physiologia autem, quæ & Physica (strictius sumpto, hoc nomine) dicitur de omni ente naturali condistincto à rationali, & libero propterea talibus tractat, quatenus mobili, & causativo; indagando scilicet per motus & effectus eius sub experientiam cadentes naturam, & passiones ipsius; sub quâ ratione distinctionis gratia philosophicè de omni ente dici potest tractare. Rationalis vero scientia est, quæ agit de omni ente rationali intellectuove propterea talia; atque adeo de intelligentione, & scientiâ; deque eius origine & cæteris ipsi annexis; ut sunt locutio vocalis, & scripta, aliaque signa manifestativa conceptuum. Moralis denique scientia est, quæ tractat de omni ente libero quatenus talia; atque adeo de libertate, & operibus liberis, siue moribus, de cæterisque à libertate dependentibus, vel ipsi annexis. Ut sunt gubernatio,

legislatio, obeditio, virtutes motales, vitia, merita, demerita, &c.

Secunda autem dictarum Physicarum Scientiarum nimirum Narrativa, rursus dividitur in Historialem; quæ versatur circa euentus præteritos, aut etiam præterites publicos; & Prædictivam, seu divinatoriam, quæ versatur circa euentus futuros, aut etiam præterites occultos.

28 Metaphysica item lata, quæ maximè omnium est discursiva, de obiectis quæ vniuersalibus potissimum agit, in Philosophiam primam, Mathematicam, & alias Anonymas scientias venit in primis dividenda. Philosophia prima, quæ & Metaphysica (strictius sumpto hoc vocabulo) dici potest, ea pars vniuersalior Metaphysicæ latæ, quæ de conceptibus communibus utriusque generis rerum, spiritualium scilicet, & corporum metaphysicè tractat. Nimirum de ente, essentia, & existentia vniuersè: de ente distincto, & indistincto; vno, & pluribus; vero & falso; bono, & malo; absoluto, & relativo; conexo, & inconnexo; opposito, & non opposito: simili, & dissimili; increato, & creato; infinito, & finito; simplici, & composito; substantiali, & accidentali; causativo, & causabili, aliisque huiusmodi. Vnde de Deo & Angelis & Hominibus, & cæteris tam huius vniuersi, quam cæterorum excogitabilium subiectis eatenus etiam metaphysicè tractat, quatenus in prædicatis conspirant communibus enti spirituali, & corporeo. Hinc collige Philosophiam primam, in tractantem de omni obiecto possibili & in tractantem de omni obiecto impossibili siue chimerico, aut etiam in tractantem de vtroque sub dictis conceptibus communibus, dividi posse.

29 Mathematica verò est, quæ maiore ex parte metaphysicè agit de quantitate corporea, qualis est continua: quo iure & sub Metaphysicâ latâ & extra Philosophiam primam ponenda venit. Tametsi & aliqua minore ex parte procedat physicè, & ea pars eius quæ agit de quantitate discretâ numerorum, nempe Arithmetica, eatenus ad philosophiam primam spectare videatur, quatenus quantitas discreta, & passiones eius tum rebus spiritualibus, tum corporeis communes sunt. Ponitur enim nihilominus Arithmetica pars Mathematica, quia valde affinis, & necessaria cæteris eius partibus est; utpote agens de suâ quantitate obiectiva sub eadem ratione, sub quâ cæteræ agunt de suâ, scilicet sub ratione æqualis vel inæqualis, proportionalisque subinde vel secus quoad ipsam æqualitatem, vel in æqualitatem: sub istâ enim omnino ratione agit vniuersa Mathematica de quantitate.

30 Anonymas autem scientias in præsentiarum dico, quæ excogitari possunt tractantes saltem maiori ex parte metaphysicè, hoc est propterea in statu quiditativo, de aliis obiectis specialioribus, quam ut enti spirituali & corporeo communia sint. Nimirum de obiecto spirituali propterea tali; eoque, vel substantiali, vel accidentali; vel absoluto, vel relativo, &c. descendendo usque ad species atomas: & de obiecto corporeo propterea tali; eoque vel substantiali, vel accidentali; vel vivente, vel non vivente, &c. pariter descendendo. veruntamen scientiæ istæ metaphysicæ, de facto non dantur. Quia cum circa eiusmodi obiecta utpote, aut minùs vniuersalia, aut aliunde minus se prudentia intellectui, pauca principia metaphysicè, atque adeo citra experientiam iudicabilia inveniuntur, maiori ex parte de illis mediâ experientia, atque adeo physicè agit: scientiæque humanæ proinde tractantes de illis sub Physicâ potius, quam sub Metaphysicâ latam locandæ veniunt.

Divisio 2.

31 Iam verò Theologia (quam Physicæ latè discutiunt subieciimus,) primum in supernaturalem, & naturalem, & ex utraque mixtam; deinde vero in alia membra diuidi potest.

Theologiam supernaturalem dicimus eam, cuius principia per fidem diuinam supernaturalem ex diuinâ reuelatione habitam comparantur; siue eiusmodi reuelatio immediatè sit facta credenti, siue aliis prius facta per sacras Scripturas, aut per traditiones, aut per Ecclesiæ definitionem, aut per prædicationem, aut aliter credenti innotescat. Theologiam verò naturalem vocamus eam, cuius principia naturaliter, independentè à supernaturali reuelatione ab hominibus acquiruntur, aut mediâ experientiâ, aut vi naturali, quam intellectus habet ad iudicandum ex solis terminis apprehensis, iuxta dicta latè disputatione decima nona, questione octaua. Mixta autem ex utraque Theologiâ erit ea, cuius principia partim sunt supernaturalia, siue per supernaturalem fidem paria, & partim sunt naturalia, siue naturali experientiâ, rationeque intellectus subnixâ. De facto verò Theologia purè supernaturalis, aut purè naturalis fere non datur: quia omnis Theologia, quæ circumfertur mixta est ex utraque. Quocirca omnis duabus puris de solâ mixta deinceps poterit esse sermo.

32 Hæc autem rursus in Positiuam, Controuersam, Scholasticam, Moralem, & Prudentialem diuidenda venit. Positiua dicitur, quæ in exponendâ sacrâ Scripturâ dissentia est, eruendo scilicet ex illâ patefaciendoque sensus, quos habet. Qui quidem duo imprimis sunt literalis, siue historicus; & mysticus, siue spiritualis. Literalis siue historicus dicitur, quem Auctor Scripturæ Spiritus sanctus, primum significare voluit per verba in vilitatē eorum significatione, siue propriâ, siue metaphoricâ usurpata, mysticus autem sensus vocatur, qui non verbis, sed rebus per verba significatis proximè denotatur; ob idque mysticus siue spiritualis dicitur, quia sub rebus significatis per voces, quasi reconditum mysterium sub quadam vmbra seu figurâ, & quasi spiritus sub corpore latet. Qui quidem sensus mysticus in tria membra diuidi communiter solet: nempe in Tropologicum, seu Moralem, qui ad vitæ emendationem, siue honestos mores refertur; in Allegoricum, qui mysterium aliquod ad fidem pertinet per se facti; & in Anagogicum, qui ad ea refertur quæ sunt æternæ Beatitudinis. Qui quatuor communiter sensus scripturæ numentur his versiculis comprehensis:

Littera gesta docet. Quid credas Allegoria.

Moralis quid agat. Quotendâs Anagogia.

De quibus omnibus videri potest. Vasquez, dissentiens latè i. part. disputat. 15. & 16. Controuersia autem Theologia dicitur, quæ dogmata fidei ruerit contra omnes errores oppositos. Quæ rursus in tot partes diuidi potest, quorū sunt celeberrime erroneæ sectarum, quas impugnât. Quales sunt Paganismus, Iudaismus, Mahometismus, Hæresis. Eaque aut Ariana, aut Pelagiana, aut Manichæa, aut Lutherana, aut Caluinistica, aut Anabaptistica, aut alia cæterarum omnium. Scholastica autem Theologia est, quæ argumentis, & ratiocinationibus hinc inde disputando conatur tum

dogmata fidei alias statuta confirmare illustrareque, tum ex illis ex aliisque principiis naturalibus, alias & alias in dies veritates tum theologicas, tum etiam naturales inferre, notificareque. Agit autem primum de Deo, deinde de Christo Domino, de Angelis, de hominibus, deque toto vniuerso, prout à Deo sunt, ad Deumque ipsum referuntur. Moralis verò Theologia est, quæ tum reuelatis tum naturalibus principiis vtens in eis speciatim veritatibus illustrandis, & detegendis, quæ ad mores pertinent, dissentia est. Atque adeo per honestos, prauosque mores, per vitiaque subinde, & virtutes, tum generatim tum speciatim liberrime excutit generatim scilicet agendo de operum libertate, obligatione, honestate, & cupiditudine. Speciatim autem de legibus, de contractibus, de votis, de iuramentis, de singulis virtutibus, de singulis vitiis, &c. Porro loca, quibus Theologia tum Scholastica tum Moralis sua depromit argumenta, decem communiter numentur. Nimirum Auctoritas sacra Scripturæ, Auctoritas Traditionum Christi & Apostolorum, Auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, Auctoritas Conciliorum, Auctoritas Pontificis Romani, Auctoritas Patrum, Auctoritas Theologorum, atque etiam Iurisprudentium, Ratio naturalis lumine naturali deducta, Auctoritas Philosophorum, Auctoritas humanæ Historiæ. De quibus latè disserit Canus per lib. 12 in suo opere de locis, videatur Vasquez i. part. disp. 12. & alij Scholastici ad art. 8. quest. 1. Sancti Thomæ. Denique Prudentialis Theologia dicitur ea, quæ de singulorum operum honestate Theologicè format dictamina practica, quibus ad eorum executionem voluntatem humanam dirigit.

Divisio 3.

Physiologia, quæ & sub Physicam latam discitur: 33 suam cadit, & Physica (strictius sumptis hoc nomine) dici solet, in speculatiuam, & practicam diuidi potest; deinde verò in plura alia membra subdividi.

Speculatiua dicitur ea, cuius finis speculatio, cognitioque veritatis sui obiecti est, ibique sistit. Practica autem cuius potissimus finis praxis siue operatio est; tamen aut absolute, aut respectu ad talem finem suas misceat speculationes. Porro Physiologia speculatiua alia est, quæ generatim de Naturâ vniuersâ, siue de omni ente mobili, & causatiuo prout tali, atque adeo philosophicè tractat. Alia quæ sub eadem ratione speciatim tractat de Cœlis, de Elementis, Igne, Aëre, Aquâ, Terra; de mixtis, viuientibus vegetatiuis, vt sunt Arbores, Herba; de mixtis viuientibus vegetatiuis simul, & sensitiuis, vt sunt animalia Volatilia. Aquatilia, Terrestria, & hæc cum irrationalia, seu Bruta tum rationalia, & consequenter de animalibus, corporibusque sigillatim horum omnium viuientium. De mixtis denique non viuientibus, vt sunt lapides, metalla, liquores, &c. atque de eorum formis materiisque sigillatim. Physiologia autem practica, cuiusque partes siue species (quæ sicut, & alia quæque scientiæ, siue doctrinæ practicae Artes vocari consueverunt) circa omnia & singula obiecta commemorata Physiologiæ speculatiuæ & paritum, siue specierum eius velari possunt, non quidem in ipsorum speculatione sistendo, sicuti sistunt illæ, sed vltra progrediendo ad

ad praxin, mediæque illa procurando in ipsis, aut ex ipsis obiectis affectus aliquos naturales homini aliquatenus utiles comparare, applicando scilicet ac sua passivis, aut per admotionem, aut per mixtionem alterationem, aut aliter, ut tales effectus ex vi naturæ activorum, & passivorum tandem procreati resultent. De facto tamen huiusmodi partes, seu species Physiologiæ præctica, quæ dantur fere sequentes sunt. Medicina, quæ intrinseca hominis propter corporeæ per causas naturales procurat bona, nimirum sanitatem, longam vitam, robur, pulchritudinem, & voluptatem sensibilem, cuius quidem quasi administræ sunt alia, quæ extrinseca alia hominis bona ad dicta intrinseca conducentia etiam per causas naturales procurant, ut Magia quæ ratio quædam est operandi mira, & insolita, per causas naturales in hominis utilitatem aliquâ ratione cedentia. Agricultura quæ in procreandis terræ fructibus proficuis homini distenta est. Coquinaria cuius munus est per causas etiam naturales conficere condireque quæcumque ad hominis sustentationem, aut etiam voluptatem, aut comeduntur, aut bibuntur. Pharmacopœia, quæ docet omnia medicamenta per causas naturales conficere ad sanitatem hominis, longamque vitam conferentia. Plastica, quæ & massam parare & vasa, aut etiam alia instrumenta per causas etiam naturales ex illa confingere docet ad hominis vsum. Fullonica, quæ rationem conficiendi tincturas, tingendique tradit etiam per causas naturales. Curativa brutorum, quæ sicut Medicina hominis, ita brutorum sanitatem, & cætera ipsorum bona intrinseca per causas naturales procurat. His addi possent alia Artes, quæ in variis hominum utilitatibus siue commoditatibus etiam corporeis cedunt. Quia tamen earum effectus ut in plurimum absque naturali aliquâ alteratione generatione, aut corruptione interveniente ab aliquo genere motus artificioso potius quam ab aliis causis naturalibus enascuntur, ad Mechanicam, quæ circa quantitatem motus, ut circa obiectum proprium versatur, potius quam ad Physiologiam reducendæ veniunt. De quibus agemus subinde *infra divisione octava.*

34 Porro Medicina præsertim dogmatica rationi simul, & experientia subnixæ (cum Empirica soli experientia, Methodica soli rationi subnitatur), cui ex fine sit practica, parsque propterea à nobis practica Physiologiæ ponatur: quia tamen prævias quasdam multarum rerum speculationes ad praxin requiritas præmittit, eam in primis in duas partes oportebit dividere, quarum altera primaria dicetur, altera secundaria. Primariæque speculationi incumbens species siue partes erunt Anatomica, quæ singula membra corporis humani eorumque functiones considerat, atque discernit sigillatim. Ad quam reuocantur speculationes de humoribus corporis, de motibus ac pulsibus; de respiratione; de somno, & vigiliâ; de generatione; de foetus gestatione; de augmentis; de pubertate; de canicie; de impinguatione; & de similibus. Pathologica, quæ morborum omnium naturam proprietatesque speculatur. Pharmacologica, quæ medicamentorum etiam omnium tam simplicium, quam compositorum, necnon exoterarum rerum, quæ vel ad sanitatem, vel ad morbum hominis possunt quoquomodo conferre,

Phar. Scientiarum, Tom. II.

naturam etiam, & proprietates speculatur. Quæ quidem Medicina pars latissime excutitur per cunctas ferè res totius universi, & Prægnostica, quæ de futuræ valetudinis, vel morbi, vel mortis hominis signis iudicium fert. Secundaria autem pars medicæ primò in Hygienicam agentem de valetudine conservanda, & Therapeuticam agentem de valetudine recuperanda, necnon in Cosmericam curantem corporis pulchritudinem, Athleticamque curantem robur membrorum, atque voluptuatiam curantem corporis sensuumque eius voluptatem diuidenda est. Secundo autem in Diæreticam prædicta omnia, aut eorum aliqua procurantem per Diætam, hoc est per bonum regimen earum rerum, quibus humanus victus constat, (quæ sex numerantur à Medicis, dicunturque non naturales, sunt autem Ambiens; motus & quies; somnus, & Vigilia; quæ retinentur, aut excernuntur; quæ ingeruntur; & Passiones animi.) Et Pharmacuticam prædicta omnia, aut eorum aliqua procurantem per medicamenta; & Chirurgicam prædicta omnia, aut eorum aliqua procurantem per manuum opera, ut sectiones, adustiones &c.

35 Magia autem primum diuiditur in Naturalem, & superstitiosam. Naturalis est, quæ mira, & insolita operatur per solas causas naturales; atque adeo licita est, cuius multæ extant regulæ, & exempla apud Cædantem de *varietate rerum*, apud Alexium Pedemontanum, & apud Baptistam à Porta. Videatur etiam noster Deltius in *suo opere de Magia*. Et huius quidem Magiæ naturalis duæ sunt partes. Chymica scilicet, quæ & Pyrotheonica dicitur, quod virtute ignis potissimum sua opera eliciat, cuius munia sunt reducere mixta ad sua principia Sal, Sulphur, & Mercurium, & purum separando ab impuro succos omnes, liquores, olea, quintam essentiam, &c. ex omnibus mixtis extrahere, necnon ex aliis metallis aurum, argentumque conficere, & Magia arctius sumpta, quæ per alias ab igne causas sua opera exequitur. Magia autem superstitiosa, atque adeo illicita est, quæ mira & insolita operatur Dæmonis ope, interuentuque aliquorum signorum, aut etiam eius inuocatione, ad quam pertinent veneficia, philtæ, incantationes, fascinoes, præstigiaque Diabolice cuiusvis generis, necnon Sagarum transmutationes, transportationes, & cætera huiusmodi opera Dæmoniaca.

36 Agriculturæ quatuor sunt vniuersalia munera (sub quibus specialiora alia considerari possunt,) excolere agros, & quæcumque ad hominum utilitatem in illis feruntur infra arbores, & frutices, excolere conita cum arboribus fruticibusque ex quibus constant, etiam ad hominum utilitatem, excolere pascua cum omnibus quæ pro pascendis gregibus, atque armentis utilia sunt, & excolere florida cum omnibus ex quibus illa componuntur ad hominum voluptatem.

37 Coquinaria in quatuor, vel quinque membra diuidi potest, nempe in Panificam docentem conficere panem (cuius administræ sunt artes præparantes frumenta donec sunt conuersa in farinam) Pistoriam docentem conficere condireque quæcumque ex pane simul & carne fiunt. Dulciariam docentem conficere omnia edulia, quæ

cum saccharo, & melle confici, conditque solent. Potioriam, quæ poculenta omnia conficere docet, & Culinariam quæ cætera præter dicta, quæ in culina, ut plurimum ad esum præparantur, conficit, conditque.

- 38 Pharmacopœia penes diuersa genera medicamentorum, quæ conficit diuidi potest in confectricem eduliorum, portionum, vnguentorum, emplastrorum, lotionum, &c.

- 39 Plasticâ diuiditur in Figulinam, quæ vasa conficit ex argilla; Vitriariam, quæ ex vitro, Aëriam, quæ ex ære; Argentariam quæ ex argento, &c.

- 40 Fullonica, vel penes diuersos colores, quibus tingit, vel penes diuersas materias quas tingit, diuidi poterit, prout libuerit.

- 41 Curatua denique brutorum, perinde atque Medicina, diuidi possit. Sæpe tamen fuerit eam diuidere in Curatiam brutorum volatilium, aquatilium, & terrestrium. Cuius postremæ pars est veterinaria, quæ sola extat probutris terrestribus veterinariis, id est aptis ad vecturam, medendis.

Diuisio 4.

- 42 Rationalis doctrina seu scientia (quæ etiam Physicæ latè discursiue subiecta est) in eas quæ de ente rationali vniuersè, de Deo, de Angelo, & de homine prout intellectus, & rationalibus agunt, erat imprimis diuidenda. Cæterum, quia tres priores de facto partes sunt Theologiæ Scholasticæ, de qua diuisione secunda, eis omissis, de sola vltima restat in præsentem dicendum, quæ quidem primò in Logicam & Administras eius, subindeque in alia membra diuidenda est.

Logica dicitur ea scientia, quæ intellectiones humanas dirigit, de illisque proinde quatenus dirigibilibus agit; atque adeo, etiam de earum obiectis prout talibus; de scientiæque, humana & scibili in vniuersum: quatenus horum omnium notitia ad intellectionum ipsarum directionem maximo opere confert. Sunt autem Logicæ duæ præcipuæ partes, altera inuentiua, quæ quâ ratione quaerenda sint, & inuenienda obiecta intelligenda præscribit. Altera iudicatiua, quæ quâ ratione de obiectis inuentis propositis, quæ sit citra errorem iudicandum docet, vtraque autem tum de intellectionibus, earumque obiectis euidentiis tractat. Quæ ex parte Logicæ nomen, ut plurimum retinet, tum de intellectionibus, earumque obiectis probabilibus. Quæ ex parte Dialecticæ potius consuevit vocari: vtraque vero rursus de intellectionibus earumque obiectis fallacibus atque adeo aut planè falsis, aut improbabilibus differit, quatenus ab illis docet cauere.

- 43 Scientiæ autem, quas Logicæ Administras dicimus sunt Animastica, quæ paritè de sensibus, & sensationibus, à quibus omnis humana intellectio sumit exordium, deque ipsius intellectionis naturâ & proprietatibus, necnon de cæteris animæ functionibus, quæ ad probè, aut præuè intelligendum conferre possunt, tractat. Memoratiua, quæ docet quomodo semel intellecta, aut etiam sentita in Memoria tum sensitua tum rationali, contra obliuionis iniuriam sint conservanda, ut quoties opus fuerit intelligantur. Et Tra-

ditio, quæ præscribit, quo pacto quæ nobis à nobis sunt intellecta aliis, ut & ipsi intelligant, communicanda sint.

Porro Traditiua alia Grammatica, & alia Rhetorica est. Grammatica docet loqui, cuius partes sunt Erymologia, quæ vocabulorum venatur significationem; Syntaxis, quæ quo pacto ex vocabulis sint orationes componendæ, siue construendæ præscribit: Orthographia quæ rectè, & appositè scribendi vocabula ipsa regulas tradit, & Prosodia quæ pariter exhibet regulas eadem rectè, & consonè proferendi. Rhetorica autem ars est cupiosè, & ornate loquendi, quæ ut Cicet. de Fin. ait, à Logicâ non aliter differt quam manus extensa à compressâ, nisi quod Logica directè, primariòque incumbit in perficienda interna mentis intellectione, indirectè autem & secundariò in perficienda loquutione externa, intellectioni internæ correspondente. Rhetorica verò vice versa externæ loquutionis perfectionem directè, & primariò procurat, consequenter autem, & veluti quid prærequiritum, perfectionem intellectionis, cui loquutio externa respondit. Rhetorica quippe finis persuasio motioque animorum audientium est. Munera autem penes materiæ diuersitatem sunt Exornatio laudationem, vituperationemque continens; Deliberatio suasioni dissuasionique incumbens, & Iudicium accusationem, defensionemque comprehendens. Quo circa Rhetorica à materia dicenda in exornantem, deliberantem, & iudicantem diuidi potest, eius autem partes sunt, Inuentio, docens quætere, & inuenire quæ sunt dicenda: Dispositio docens illa rectè disponere, & distribuere per Exordium, Narrationem, Confirmationem, & Epilogum: Eloquutio docens eadem idoneis verbis, sententiisque perpolire, exornareque: Memoria docens memorare, siue recordari dicenda: & Pronunciatio docens vocem, motusque manuum, totiusque corporis inter dicendum moderari.

Diuisio 5.

Moralis scientia (quæ etiam sub Physicâ latè discursiua comprehenditur) in eas pariter quæ de ente libero in vniuersum; de Deo; de Angelo; de hominèque, quatenus liberis agunt, erat in primis diuidenda. Quia tamen tres priores de facto Theologicè potius quam philosophicè procedunt, atque ita partes quædam sunt Theologiæ Scholasticæ, de qua diximus diuisione secunda, de sola postrema, quæ etiam sub metâ philosophiam à Theologiâ condistinctam cadit, dicendum in præsentem est: Quæ quidem in Ethicam, Monasticam, Oeconomicam, Politicam, Iuriprudentiâ, & Prudentiam diuidi primò potest. Deinde autem in alia quædam membra subdiuidi.

Ethica est, quæ generatim agit de moribus, deque vltimo fine hominis; atque adeo generatim etiam præscribit, quanam hominis opera honesta & quanam turpia sint, ut illa sequatur, hæc fugiat, vltimòque subinde suum finem ita assequatur. Monastica, hominis prout vitam solitariam agentis mores considerat: atque adeo ad huiusmodi vitam honestè peragendam dirigit. Oeconomica vero, considerat mores hominis, prout vitam agentis domesticam ineta suam sci- licet domum, cum suâ familiâ. Quomodoque, talis

talís vita sit recte peragenda docet, Política autem de moribus, de operibusque liberis hominum, prout vitam civilem intra rempublicam agentium tractat. Cuius tres species simplices & quatuor composita numerantur. Prima simplicium est Monarchia, quando summa gubernatio reipublicæ penes vnum tantum supremum Principem est. Secunda est Aristocratia, quando reipublicæ clauo assidet Senatus, vel Concilium aliquorum selectorum virorum, quæ Oligarchica etiam dicitur. Tertia est Democratia seu Polyarchica, quando reipublica administratur à plebè. Composita autem sunt quæ resultant ex trium simplicium mixtionibus, quæ quidem mixtiones quatuor sunt. Nempe ex primâ, & secundâ: ex primâ, & tertiâ; ex secundâ & tertiâ, & ex omnibus tribus. Quarum specierum Politicæ, vnaqueque rursus tres partes habet, prima quæ gubernatrix dici potest præscribens quoquomodo superiores erga subditos se debeant gerere. Secunda quæ dici potest Obtemperatrix præscribens quomodo subditi vice versâ se debeant gerere erga superiores; & tertia quæ Socialis vocari potest, docens quâ ratione pares, siue inter se non subordinati se debent gerere inter se. Quo etiam pacto Oeconomica in gubernatricem, obtemperatricem, & socialem diuidi potest: imo harum quævis rursus est talis, aut filiorum, aut famulorum ob horum diuersas condiciones.

46 Præterea Monarchia Politicæ de facto alia Ecclesiastica est, alia Sæcularis, seu Civilis. Quarum prima circa ea, quæ pertinent ad spiritum, ad vitamque æternam referuntur, versatur. Quocirca Theologiæ potius, quam Moralis Philosophiæ, de qua modo agimus, pars est, tamen distinctionis gratia mentio eius impræsentiarum importuna non sit. Sæcularis, autem seu civilis est quæ versatur circa ea quæ ad corpus potius, atque adeo ad vitam præsentem, & temporalem degendam pertinent.

47 Iam vero Iurisprudentia, quæ tum Oeconomice tum maxime Politicæ quædam est administratio, doctrina est legum, & præceptorum, quæ sicut & Politicæ cui subseruit, in Ecclesiasticam, & Sæcularem, siue in Canonicam, & Civilem, quales de factoidantur, venit in primis diuidenda. Vtraque autem præterea diuidi potest, in Legislatricem, Obseruatricem, Punitiuam, & Remuneratiuam. Ita quod Legislatrix sit quæ docet, & leges condere, & conditas intimare, exponereque, & explicare ad vsum. Obseruatrix verò, quæ docet leges obseruare, siue eis parere. Punitiua autem, quæ transgressoribus legum punitiones, penasve præscribit. Remuneratiua denique, quæ docet obseruatoribus legum præmia largiri.

48 Tandem prudentia ea singularum scientia est, quæ omnium præcedentium vniuersalia dogmata ad praxin reducit, formando practica dictamina de singularibus actionibus ad illas spectantibus exequendis. Vnde in totidem partes diuidi potest penes earundem materias diuersas, circa quas versatur. Quocirca alia dici potest prudentia Ethica, alia Monastica, alia Oeconomica, alia Politicæ, alia Iuridica, &c.

Diuisio 6.

Historialis scientia, siue doctrina (quam Physica latæ narratiuæ partem posuimus) in veram, & fabulosam primò, deinde in alia quædam membra diuidenda venit.

Vera (quæ Historia absolute dicitur) ea est, quæ euentus veros, siue qui reuera euenerunt, narrat. Fabulosa autem est, quæ aliqua saltem eorum quæ narrat, effingit: potest autem vera diuidi primo in sacram, & profanam, ita quod sacra comprehendat quæcumque narrantur spectantia quoquomodo ad Ecclesiam, siue ad spiritum, cum aliqua relatione ad vitam æternam: profana vero cætera cuncta. Vnde sacra rursus in Canonicam, quæ in sacra Scriptura continetur auctoreque Spiritu sancto dictata est, & Ecclesiasticam quæ cætera pertinentia ad Ecclesiam ex humanâ tantum auctoritate refert, diuidenda venit. Profana autem primo diuidi potest in vniuersalem, & particularem: vniuersalisque rursus in vniuersalem quoad tempus tantum, tractantem de rebus gestis ab initio mundi vsque ad tempus præsens, non tamen vbique; sed in aliquo determinato loco: & vniuersalem quoad locum tantum, tractantem de rebus gestis in toto vniuerso pro aliquo tantum determinato tempore, non vero pro omni. Et vniuersalem quoad vtrumque tractantem de vtrisque, quæ subinde vniuersalis etiam erit quoad genera euentuum: quia nullus est qui non comprehendatur sub gestis in omni tempore, & omni loco. Harum autem vnaqueque, si absque discretione temporum, & locorum agit de cunctis, quæ aut in omni tempore, aut in omni loco, aut in vtroque, acciderunt, communi retento vocabulo, Historia appellatur. Si autem cum distinctione procedit narrans, quæ acciderunt per singulas vniuersi temporis partes suo ordine, Chronologia appellatur. Solut autem Annales dici, quando tales partes sunt anni, & Diarij, quando sunt dies, pariterque dici possent Mensales, quando sunt menses, Sæculares quando sunt sæcula, &c. Similiterque Topologia vocari poterit, quando cum distinctione prodit per diuersa loca. Possetque, dici proportionē seruata Regnales, quando talia loca sunt regna. Provinciales, quando provinciæ, Urbales quando vrbes, &c. Chronologia autem simul, & Topologia dicitur, quando tum per singula tempora, tum per singula loca narrans, quæ in singulis euenerunt, cum distinctione procedit. Particularis item historia aut potest esse talis quoad tempus tantum, quia agit de cunctis rebus gestis in aliquo particulari tempore, aut quoad locum tantum, quia agit de cunctis gestis in aliquo particulari loco, aut quoad vtrumque: quia agit de gestis in aliquo particulari loco, pro aliquo particulari tempore, aut quoad genus euentum: quia agit de aliquo tantum genere rerum præscindendo à temporibus, & locis in quibus illæ extiterunt. Et prima quidem in tot partes diuidi potest, in quot tempus hæcenus transactum est diuisibile. Quò pacto Historiæ mundi ab eius creatione vsque ad Diluuium, & à Diluuiò vsque ad Abraham, & ab Abraham vsque ad Moysen, & à Moysè vsque ad Christum Dominum, aliæque pariter, aut penes minoris temporis partes diuisæ diuerse inter se reputantur. Secunda similiter in tot partes diuidi potest, quot sunt mundi loca diuersa.

Quâ ratione Historiæ Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Angliæ, Germaniæ, & ceteræ huiusmodi, aliæque penes minora loca, aut etiam penes maiora diuisæ diuersæ censentur. Tertia in tot eodem modo partes est diuisibilis quot diuersorum temporum, atque locorum partialium sunt combinationes possibiles. Quarta denique tot partes, siue species habet quot sunt rerum diuersa genera, quomodo alia est Historia de Cælis, alia de Elementis, de Aëre, de Aqua, de Terrâ, alia de mixtis, illæque aut viucentibus, aut non viucentibus; quod si de viucentibus, aut vegetatiuis tantum, vt plantis; aut vegetatiuis simul & sensitiuis, vt animalibus, brutis; aut vegetatiuis simul sensitiuis, & rationalibus, vt hominibus. Quod si de hominibus, aut agit de familiarum profapiis, & Genealogia dicitur; aut agit de personarum gestis, & Personalis dici potest. Personæ autem huiusmodi interdum publicæ sunt, interdum priuatae. Ad Historias hominum reducuntur, historiæ tum generales, tum speciales de scientiis, & Artibus humanis de earumque effectibus, seu eventibus.

50. Jam Historialis Fabulosa in Poeticam, Mythologicam, Parabolicam, & Enigmatiçam potest diuidi; Poëtica est, quæ multa non vera, verisimilia tamen fingit, & metricè narrat, tametsi sæpè etiam vera ponuntur; Mythologica est, quæ Apologos, & fabulas fingit, vt morale quidpiam verum ex eis colligi possit; cuius modi sunt Fabulæ Æsopi, & Apologi D. Cyrilli, aliæque eiusmodi; Parabolica est, quæ assignat parabolas, vt simile quid per illas viuide exprimat. Quod sermonis genus valde est ad persuadendum efficax, ob id tam vsitatum à Christo Domino, vt constat ex Euangelis. Enigmatiçica autem est, quæ Enigmata conficit, quibus aliud proponit, aut verbis, aut figuris pictis, aut utrisque; aliud tamen valde sub eo occultum, abstrusumque significare intendit. Porro Poëtica primò penes formam carminis, siue poematis, quod componit, diuidi potest: Aliud enim est Monocolon constans vno tantum genere versuum; aliud Dicolon constans duobus; aliud tricolon constans tribus, &c. Tam aliud est Distrophon, quod post secundum quemque versum reuertitur in idem genus; Aliud Tristrophon, quod post tertium; Aliud Tetrastraphon, quod post quartum, &c. Ipsorum autem versuum varia sunt genera, diuersisque ex capitibus sortiuntur nomina: vt à numero pedum quibus constant Hexametrum, Pentametrum, Tetrametrum, Trimeterum, Dimeterum. A diuersitate pedum, quos frequentius habent: Iambicum, Trochaicum, Dactylicum, Anapaesticum, Choriambicum, Pæonicum, Ionicum, Antipasticum, &c. A nominibus suorum Auctorum Alcaicum, Archilochium, Pindaricum, Asclepiadeum, Anacreonticum, Ibiicum, Sapphicum, Adonicum, Glyconicum, &c. Secundò diuidi potest Poëtica penes materiam in Comicam, Tragicam, & Sætyricam constringentes comedias, tragædias, & sætyras, Elegiacam, Epicam, Bucolicam, & Georgicam canentes res flebiles, funebres, pastoritias, & rusticas, in aliasque huiusmodi.

Prædictiua scientia, seu diuinatrix (quam Physicæ latè narratiuæ partem etiam posuimus) primò in supernaturalem, & naturalem: deinde autem in alia varia membra diuiditur.

Supernaturalis est, quæ habetur per diuinam reuelationem; estque triplex Prophetica, Fides diuina, & Prædictio Theologica, genita, scilicet per discursum ex præcognitis per prophetiam, aut fidem. Naturalis autem est, quæ independenter à reuelatione Dei, ab aliisque supernaturali principio acquiritur. Hæc autem est duplex; licita scilicet, & illicita, siue Diabolica. Licita est quæ acquiritur per media licita, illicita autem, quæ per illicita, qualia sunt quoduis pactum, quouisque commercium cum Dæmone.

Porro Prædictiua licita alia est euentuum necessariorum, hoc est oriendorum à causis necessariò operantibus, qui subinde causis ipsis suppositis, nequeunt non euenire. Atque adeo licitis cum certitudine causis, & ipsi cum certitudine præsciuntur. Alia est, euentuum liberorum suauiter trahentium originem à causis operantibus liberè; quorum quidem non certa, sed coniecturalis, vt summum potest notitia haberi ex præcognitis scilicet aliquibus indicis, & circumstantiis non quidem cogentibus, sed inclinantibus causas liberas in tales euentus. Vtrique autem in tot membra diuidi potest quot sunt principia, aut ostendentia, aut indicantia euentus futuros, vel occultos. Ea autem sunt Cæli cum suis Astris; Elementa, Aër, Aqua, Terra; Mixta viucentia, plantæ, bruta, homines, Mixta non viucentia, Lapides, Metalla, Liqueores cum suis alterationibus & effectibus. De facto tamen ex scientiis prædictiuis solum videntur habere nomen Astrologia, quæ ex Cælis Astrisque prædicat; & Physiognomia, quæ prædicat ex vultu aliisque partibus humani corporis. Prædicat autem Astrologia, primò cum omni certitudine euentus aliquos futuros cælestes, vt Eclipses, oppositioes, coniunctiones Astrorum, aliosque huiusmodi; Quæ parte dici potest cælestium euentuum, à quorum computatione per confectas tabulas Ephemeristica etiam dicitur. Secundò prædicat cum aliquâ certitudine aliquos euentus futuros sublunares & necessarios: vt notabiliores alterationes elementorum, atque etiam mixtorum, cum effectibus ex eis oriendis; à quo munere sublunarium appellari potest euentuum. Cuius ea est pars, quæ ex positione quam Astra habent, dum nascuntur homines, eorum inclinationes moresque coniectat, & Genethliaca nuncupatur. Pariterque inclinationes, & mores hominum coniectat ex eorum vultu, aliisque partibus corporis Physiognomia. Scientia verò, quæ ex elementis, eorumque alterationibus & effectibus euentus aliquos siue necessarios, siue liberos prædicat, aut coniectat Stoichiologia vocari potest. Meteorologia autem quæ ex mixtis in vniuersum, quæcumque illa sint.

Jam verò prædictiua illicita, siue Diabolica multa sub se continet membra. Alia enim est prædictiua ex Astris, scilicet Astrologia illicita prædicans liberos euentus, qui ex Astris præsci non possunt, alia est prædictiua ex elementis; & alia ex mixtis sigillatim. Ex elementis siquidem per ignem

ignem prædicat Pyromantia, & Lampadomantia per Hammam; Capnomantia per fumum, & Tephromantia per cinerem. Per aërem prædicat Aeromantia, per aquam prædicat Hydromantia, & Lecanomantia per pelum, vel patinam, per terram prædicat Geomantia. Prædicta autem ex mixtis, alia est prædicta per sacrificia, quæ rursus diuiditur in Oenomantiam prædicentem per vnum, & Libamam; & Libanomantiam prædicentem per Thus, & Odoramenta, quæ Diis adolentur, diciturque etiam Empyrosopia. Alia est prædicta per instrumenta; quæ diuiditur in Axinomantiam prædicentem per secures, Caroptomantiam prædicentem per specula, Cosinomantiam prædicentem per cribra & forficem, Dactylomantiam prædicentem per annulos, & sortilegium prædicens per sortes. Alia est prædicta per viuencia, & quæ aut vegetatiua: vt Daphnomantia prædicens per laurum, quæ & Daphnephagia appellatur, Batomantia prædicens per herbas, Sycomantia per ficum, & Rhabdomantia per virgam. Aut sensitiua, vt Ichthyomantia prædicens per pisces, Agomantia per capram, Aruspicia per victimarum exta, Auspiciuniquæ, seu Augurium, seu Oenoscopia prædicens per autum garrum, volatum, & pascuum. Aut rationalia, vt Necromantia, seu Necyomantia, seu Sciomantia prædicens per defunctorum manes, siue vmbra ab inferis euocatas, Chyromantia per lineas manuum, Metoposcopia per lineamenta frontis, & Onirocristia per insomnia.

Dispositio 8.

54 Denique Mathematica (quam partem diximus esse Metaphysicæ latæ) prius diuiditur in Arithmetica, Geometria, Cosmographiam, Musicam, Opticam, Mechanicam, & Chronometricam: quarum singulæ deinde in alia membra subdividuntur.

Arithmetica est, quæ versatur circa quantitatem discretam numerorum, cum præcisione, seu abstractione ab omni materia: diuidi autem potest primò in Absolutam, & Algebraicam. Absoluta est, quæ agit de numeris absolutis, illis aut integris in infinitum ascendentibus supra unitatem, quæ parte integra dici potest: aut fractis in infinitum descendentibus infra unitatem, quæ parte dici potest Fracta: aut partim integris, partim fractis, quo pacto dici potest mixta. Algebraica siue Algebra est quæ agit de numeris figuratis, eorum radicibus veris, & fictis, in infinitumque ascendit supra quemlibet numerum, atque etiam in infinitum descendit non solum infra unitatem; sed etiam infra nihil, seu cyphram.

55 Deinde absoluta Arithmetica in vulgarem Popularem, seu elementarem, & in Regularem, Tabularem, Analogisticamque potest diuidi: vulgatis est, quæ vulgares simplicesque regulas præbet Numerandi; Addendi, Subtrahendi, Multiplicandi, Diuidendi, Reducendique datum numerum ad aliam denominationem. Regularem autem appello eam, quæ sublimiores alias, & compositas exhibet regulas, Quarum prima est Aurea, seu Regula trium directæ & reuersæ. Secunda Regula Societatis multipliciter composita cum tempore, lucro, damno, &c. Tertia regula Allegationis, seu mixtionis. Quarta regula falsi cum

simplici vel duplici positione. Tabularis verò est, quæ varias construit tabulas ad varios vsus: quales sunt tabulæ sinuum rectorum, sagittarum, tangentium, & secantium, tabulæ Ephemeridum, tabulæ Logarithmorum, &c. Analogistica denique est, quæ agit de numerorum Combinationibus, Progressionibus, & Proportionibus, hisque Geometricis, Arithmeticis, Harmonicis; cuius pars est Arithmetica Astronomica vtens progressionem Sexagenariam. His adde Arithmeticam lusoriam, siue diuinatorem, quæ problemata iucunda, vulgoque insolubilia, & res occultas per abditas numerorum proprietates pandit. Præterea vulgaris Arithmetica alia figuralis est, quæ per figuras, siue characteres procedit; eosque, vel communes, vel Romanos, vel Græcos, vel Hebræicos, vel Gothicos, &c. Alia est imaginaria, quæ mentaliter tantum numerat; alia calculatoria, quæ numerat per calculos.

Algebraica autem Arithmetica, siue Algebra 56 deinde pariter diuiditur in Prostaphæreticam, & Geometricam seu Cosmicam. Quarum prior agit de operationibus numerorum in genere per signa, & id est plus, & minus, eos scilicet prout talibus, signis affectis numerando, addendo, subtrahendo, multiplicando, & diuidendo. Posterior autem agit de numeris Cosmicis; hoc est planis, solidis, surdis, deque eorum radicibus, vel realibus, vel ineffabilibus: quæ quidem vniuersas figuras Geometricas & linearum potestates per numeros explicat. Diuidique potest in Realem, agentem de numeris planis, & solidis habentibus veras radices, vt quadratis, cubis, &c. & fictam, quæ agit de numeris surdis, seu irrationalibus, qui non habent veras radices, inquirens earum loco quam proximum illis numerum potest; & mixtam ex vtraque.

Geometria est, quæ tractat de quantitate continua extensâ, cum præcisione etiam seu abstractione ab omni materia saltem sensibili. Diuiditurque primo pro triplici quantitatis, quam habet pro obiecto, dimensione, longa scilicet, lata, & solida, in Longimetriam agentem de lineis; Planimetriam agentem de areis seu superficiebus; & Stereometriam agentem de corporibus, seu quantis solidis. Rursus autem prima in Rectilinearem tractantem de lineis rectis, & Curuilinearem tractantem de lineis curuis diuidi potest. Secunda pro figurarum planarum diuersitate, de quibus agit, in Cyclometriam tractantem de circulis, Trigonometriam de triangulis, Trapezometriam de trapeziis, &c. Tertia denique penes figurarum solidarum, de quibus agit, diuersitatem in Sphærometriam tractantem de Sphæra, Conometriam de cono, Cyliandrometria de Cyliandro, &c.

Cosmographia est, quæ agit de quantitate integri mundi ex Cælis, & elementis, cum mixtis in eis inclusis, compositi: cuius tres partes numerantur, Geographia, quæ terras tum inter se comparatas, tum ad Cælos relatas vniuersaliter describit; Hydrographia, quæ pariter describit maria: & Vtanographia, quæ cælorum motuumque eorum quantitatem considerat. Quibus Meteorographia est addenda, pro quantitate Aëris, aut etiam ignis elementaris (si datur) à terra vsque ad æthera extensa. Rursus verò Geographia diuiditur in Chorographiam, quæ maiora meretur loca, vt regiones, prouincias, insulas, &c. Et Topographiam, quæ minora, vt vrbes, portus, castra, templa, &c. quo etiam pacto Hydrographia, aut etiam

etiam Vranographia, Meteorographiaque diuidi possit. Quibus adde Geodasiam, quæ Planimetria quædam practica Agrimenforum propria est. Aliqui ponunt sub Vranographia Astronomiam, & Astrologiam prædictuam; sed non satis bene. Quia licet secunda supponat primam, & ipsi subalternetur quodammodo, propriè tamen ad Mathematicam agentem de quantitate non pertinet, sed ad Physicam narratiuam, quæ parte prædicta est effectuum ex causis. Ob id de Astrologia prædicta diximus diuis. 7. Modeque Vranographiam pro eadem sumimus ac Astronomiam. Quæ quidem primo diuiditur in Sphæricam considerantem totam Sphæram Cœlestem, cum suis Circulis & motibus: & Theoricam complectentem septem planetarum theorias, seu speculationes speciales: lunæ videlicet, Mercurij, Veneris, Solis, Maris, Iouis, & Saturni. Sphærica autem rursus penes diuersa media, quibus iuuatur ad contemplantam Sphæram cœlestem, diuiditur in Dioptricam ætherea phænomena obseruantem, per instrumenta Dioptrica; qualia dicuntur omnia visualia, siue adiuuantia visum, Planisphæricam vtentem Planisphæriis, siue Astrolabiis, vbi Sphæra ipsa in planum proiecta descriptaque visitur; idque vel orthographicè vel scenographicè, vel stereographicè, iuxta dicenda postmodum: & Stereosphæricam vtentem globis arte factis, eandem spæram referentibus siue representantibus. Theorica autem Astronomiæ computistica subalternatur, quæ tres potissimè conficit computos Astronomicum scilicet, Politicum, & Ecclesiasticum.

59 Musica est, quæ quantitatem discretam soni, atque adeo proportionalem eius harmoniam considerat, ad praxinque reducit; quo titulo duplex in primis est; Theorica, & Practica, vtrique autem rursus penes sonorum diuersitatem in Vocalem, seu nos naturalium vocum moderantem; & Organicam moderantem sonos instrumentorum diuidi potest. Et secunda iterum in Flatricem pro sonis qui flatu, & Pullatricem pro sonis qui pulsu instrumenti excitantur: ad ista namque duo genera reducuntur omnia instrumenta musica.

60 Optica est, quæ circa quantitatem specierum, siue radiorum visualium versatur. Diuiditurque primum in Perspectiuam; quæ optica etiam (strictius sumpto hoc nomine) dicitur; & de radiis directis agit: & Catoptricam, quæ agit de radiis reflectis; atque adeo de Speculis Planis, Cœuexis & Concauis, Cylindricis, Conicis, Prismaticis, &c. Et Dioptricam, quæ agit de radiis refractis in aqua, nubibus (vbi deinde) Conspicillis, Telescopiis, Microscopiis, Vitris causticis, &c. quibus adde Diacatoptricam comparatam radios reflexos atque refractos interse. His omnibus subalternatur Prospectiua agēs de variis projectionibus, & descriptionibus, quæ in varias species seu partes diuidenda venit. Quarum prima est orthographia, quæ rem describit vti apparet oculo infinite distanti. Secunda est scenographia; quæ rem describit vti apparet oculo finite distanti. Tertia est stereographia, quæ rem describit; vti apparet oculo contiguo ipsi rei, & totam eius soliditatem veluti Diaphanam penetranti. Quarta est Sciographia, quæ rudibus lineamentis totam rei figuram in plano adumbrat. Quinta est Ichnographia à quâ describuntur fundamenta ædificij superstruendi. Vnde Sciographia, & Ichnographia magis ad Architectos pertinent, quàm ad Opticos. Orthographia vero, & Scenographia ad vtrosque pertinent, sed diuersis modis.

Nam apud Opticos scientias significant, quæ versantur circa projectiones rei prospectæ descriptas in plano positposito, prout apparentes in ipso plano oculo distanti infinite, aut distanti finitè. Apud Architectos verò orthographia scientiam significat delineantem aduersam frontem ædificij; & Scenographia importat insuper descriptionem abscedentium laterum; ideoque perfectior est, quàm Orthographia. Stereographia autem ad solos Opticos, non item ad Architectos pertinet: quia soli projectioni corporis inspecti descibendæ in plano positposito potest seruire. Ex quibus patet, alias esse Orthographiam, Scenographiamque Opticorum, & alias Architectorum.

Mechanica ea scientia est, quæ ponderis, & impulsus, atque adeo etiam motus ex eis oriundi quantitatem pro obiecto habet. Diuidi autem potest primo in Liberalem, quæ maiori ex parte est intellectualis, & discursiua, aut nobilitatis conditionis; & Illiberalem, quæ maiori ex parte est manularia, & inferioris notæ: quarum vtrique plures sub se comprehendit partes, & Artes. Ad Liberalem enim spectare in primis videntur Statica, Bellica, Nautica, Venatica, Luforia, Gymnastica, Pictura, Statuaria, & Architectura. Ad Illiberalem verò Typographia, Fabrilis, Lanifica, Linifica, Serica, Textoria, Acupictoria, Sartoria, Sutoria, & alie huiusmodi.

Porro Statica, quæ Mechanicæ pars est potissima, vt potè mensurandæ quantitati ponderum, impulsuum, & motuum potissimè incumbens, varias, & ipsa partes habet in quas subdividitur, penes diuersitatem scilicet tum potellarum, tum mediorum, circa quæ versantur. Prima est Centrobaryca agens de centro grauitatis; ad quam reducitur Isorhopostatica, de æquiponderantibus agens, quæ secunda nihilominus dici potest. Tertia est Zygotatica, tractans de librâ. Quarta Machlostatica, de vecte. Quinta Trochlostatica, de Trochleâ. Sexta Cochlostatica, de cochleâ. Septima Sphenostatica, de cuneo. Octaua Polymechanostatica, agens de variis harum machinarum coniunctionibus, seu mixtionibus. Nona est Hydrostatica, agens de corporibus propt in aqua, in quouisve humido vniuersè: cuius duæ sunt partes; altera de natantibus in humido dicta Barocolumbia; altera de his quæ in humido merguntur, cuius nomen est Barodylia. Decima est Aëriostatica, agens de corporibus propt in aëre. Vndecima Pyrostatica, agens de corporibus propt in igne. Duodecima Polymestatica, agens de corporibus propt in diuersis mediis. Decima tertia est Hydarholcia, tractans de aquis attrahendis, & aqueductibus. Decima quarta est Automatica, agens de his quæ per se moueri videntur, vt horlogia machinalia, & cetera huiusmodi. Bellica est ars, quæ tractat de omnibus, quæ pertinent ad bellum. Diuiditur primo in marinam, agentem de bello propt in mari; & terrestrem, agentem de bello propt in terra; vtrique autem partes habet. Fortificationem, docentem fortificare quauis loca pro defensione; Castrametationem docentem ordinare exercitum; Poliorceticam docentem obsidere contrarium, & Tormentariam machinarum bellicarum pro offensione factricem, gubernatricemque. Nautica est ars nauigandi. Diuidi potest in Nauificam, docentem fabricare, & instruere naues, quò idoneæ sint ad nauigationem: & Nauigeram, docentem illas tuto per maria ducere. Venatica est


est ars venandi ; est triplex , Ferina , quæ docet animalia agrestia terrestriaque seu viua , seu occisa capere : Aucupium , quod docet pariter capere aves non cicutes : & Piscatura , quæ docet similiter capere pisces quorumvis generum Luforia est ars ludendi quouis ludorum genere : vnde in tot partes diuidi potest , quot genera sunt ludorum diuersa. Ludi autem penes instrumenta , cum quibus luditur distingui possunt in ludos Aleorum , Foliolorum , Acierum , Pilarum , Globorum , &c. Quibus adde ludum Præstigiatorum docentem tanta manuum , aliorumve instrumentorum subtilitate quædam mouere siue tractare , vt circumstantium oculis aliud appareat ab eo quod re verâ est. Gymnastica disciplina quædam est exercitationis : sub quâ poni possunt Equestris , Pugillaris , Collimatoria , Saltatoria , Cursoria , & alia huiusmodi. Pictura pingere in plano docet. Statuaria solidas statuas conficere : idque aut sculpeura , quo pacto dicitur sculpro-ria , aut fusione , quo pacto fusoria appella- tur. Architectura denique ædificandi est ars : di-uidique potest in Idealem , docentem delineare siue describere ædificia ; idque vel orthogra- phicè , vel scenographicè , vel ichnographicè , iuxta dicta numero sexagesimo. Et Realem do- centem ædificia ipsa construere. Rursusque vna- quæque diuiditur penes diuersitatem ædificio-

rum , quorum formam præscribit , in Gothicam , & Romanam. Cuius postremæ ordines sunt Tos- canus , Doricus , Ionicus , Corinthius , & ex eis Compositus

Jam verò Typographia in imprimendis li-bris distenta est. Fabrilis opera artificiosa docet componere ex variis materiis : à quarum diuersitate alia Araria , alia Auraria , alia Ar- gentaria , alia Ferraria , &c. Lanifica lanam la- borare docet , Lanifica linum , Serica sericum. Textoria texit , Acupictoria acu pingit , Sartoria vestit , Sutoria calceat , &c. Præter eas , quas su- pra diuis. 3. posuimus , & cum his numerari pos- sunt : præter aliasque innumeras huiusce generis , quas relinquimus.

Chronometria denique ea scientia est , quæ temporis quantitatem metitur , quod præstat per horologia tum Solaria , aut etiam Lunaria (quoad quam partem cæteris nobiliorem Gno- monica dicitur ,) tum Rotata ; tum Arena- ria , tum Aquaria , tum cætera cuiusvis ge- neris.

Modo , vt omnes humanæ scientiæ in hac quæstione recensitæ vnico , veluti obtutu in- spectæ , facilius comprehendere possint , schemate propositas dabimus , quod quia non capit vni- ca pagina in octo partes diuidemus , vt sequi- tur , penes totidem diuisiones Scientiarum præ- missas.




SCHEMA

SCHEMATA


*SCHEMA OMNIVM SCIENTIARVM
humanarum, in octo partes distributum, penes totidem ipsarum
scientiarum diuisiones in praesenti quaestione traditas.*

SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars I.




SCHEMATIS

SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars III.




SCHEMATIS

SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars IV.




SCHEMATIS SCIENTIARVM

Pars V.




SCHEMATIS


SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars VI.



SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars VII.



SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars VIII.



SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars VIII, prosequitur.

